

Nf. 5.





PROLVSIO HISTORICA SAECVLARIS

---

DE  
**IMPERATORIS  
 CAROLI V**

FAVORE ET MERITIS IN AVGV-  
 STANAM CONFSSIONEM  
 SINGVLARIBVS,  
 VARIIS OBSERVATIONIBVS ILLVSTRATA:

QVA  
 IN REGIA FRIDERICIANA

---

PRAELECTIONES SVAS,  
 PHILOSOPHICAS ET HISTORICAS,  
 SEMESTRI HIBERNO HABENDAS,

---

RITE INDICIT EARVMQVE RATIONEM  
 VBERIVS EXPONIT

**M. ERNESTVS FRIDERICVS  
 NEVBAVER,**  
 ORDINIS PHILOSOPHICI IN REGIA FRIDERICIANA  
 ADIVNCTVS.

---

HALAE MAGDEBVRGICAE, MENSE OCTOBR. ANNO SAECVLARI CIOI<sup>o</sup>CCXXX.

---

TYP. CHRISTIANI HENCKELII, ACAD. TYP.







§ I.

**P**aradoxa & vana, ideoque intermittenda potius, quam cum publico communicanda, multis videbitur præsens commentatio, Caroli V, cæsaris romani, amorem fauoremque, & insignia in Augustanam confessionem merita, delineans. Sed hi erunt fere, qui expertes historiarum, nihil de Carolo sciunt quinto, quam ipsum, ceu romanorum imperatorem, pontificiorum sacris fuisse innutritum. At enim vero, qui in historico studio non plane sunt hospites; sed monumenta historica diligentius paullo euoluerunt: hanc descriptionem neutiquam mirabuntur, quin me causas habuisse iustissimas grauissimasque, statim adgnoscent.

§ II.

Tanta profecto Caroli huius in Augustanam confessionem extant merita, vt singulari quadam diatribe eadem efferre, hoc præcipue sæculari tempore, non inconueniens videatur. Hic confessionem illam scribendam exhibendamque iussit: hic eam audiuit, auditam accepit, acceptam perpendit, perpensam varias in linguas transferri, translata transmitti curauit. Hic postea quoque, ac præcipue circa vite laudatissimæ finem, animo erga eam clementi fuit & fauentissimo.

§ III.

Inter magna illa atque immortalia promerita, quæ ipsi cæsari huic augusto, si Augustanam confessionem spectes, adtribuere debemus, primo præcipuoque omnium loco hoc commemorandum est, quod scripto quodam, de habendis comitiis



tiis ad omnes romani imperii principes ordinesque dato, vt Augusta Vindelicorum stato tempore compareant ac de religionis negotio disquirant, occasionem Augustanam confessionem consignandi tradendique dederit. \* Recte igitur vel ex hac causa, vt aliis quam plurimis, ad causas reformationis adiuuantes, seu socias, Carolus refertur. \*\*

## §. IV.

Deinde quum Augustam aduentasset caesar, protestantium principibus imperat clementer, vt fidei suae rationem, scripto, tum germanico, tum latino, comprehensam, publice exhibeant. Paulo post caesaris nomine orationem habet *Fridericus*, Palatinus, qua, nonnulla praefatus de mora caesaris & comitorum causa, bello scilicet Turcico & religionis dissidiis, palam edicit, vnumquemque, quod sentiat, litteris consignatum, proponere posse, quo sic eo commodius celeriusque res intelligi ac definiri queant. Promittebat simul, se, pro suo in eos amore, facturum placide, quod sui sit officii. \*\*\*

## §. V.

Dum conf. praeegebatur, dici non potest, quam adtentus\*\*\*\* fuerit auditor Carolus V. Nam audis erat admodum euangeli-

A 2

\* Praeclare IO. WIGANDVS, Pomesaniensis in Porusia episcopus, in *hisor. de Aug. conf.* p. 126. ac sane, ait, imperatori romano gratias habemus, quod pro sua prudentia ciuili & clementia confessionem exegit. Toti nostrae posteritati hac in parte seruiuit.

\*\* Vt a IO. HENR. HOTTINGERO *hisor. eccles. noui test.* tomo IX. saeculi XVI. part. V. c. I. p. 3. sqq.

\*\*\* IO. SLEIDANVS *com-*

*mentariorum de statu religionis & rei publ. Car. V. caesare*, lib. VII. p. 172.

\*\*\*\* Confitetur hoc ROVERVS PONTANVS *verum ab anno 1500 ad 1560 gestarum* libro III. p. 172. *auscultabat singula ad extremum usque patienter.* Id quod, ceu notatu maxime dignum, causis reformationis adiuuantibus, seu sociis, adnumerandum duxit HOTTINGERVS l. c. p. 5.

A 2



gelicorum doctrinam adcurate cognoscendi. Videbat, multo aliud esse doctrinae genus, confessione expositum, quam quod vulgo putaretur, & protestantes ab innumeris haeresibus, quarum nomine traducebantur, esse immunes. Addunt quidam, ipsum inter recitationem lacrimas \* continere haud potuisse. Id saltem est certissimum, ipsum non semel fuisse tactum atque commotum. \*\* Quae omnia in animo Caroli hunc effectum habuere saluberrimum, ut, licet Clementi VII iure iurando promiserit, se dissidia religionis in Germania bello compositorium; mentem tamen hanc postea mutaret. \*\*\*

## §. VI.

Finita praelectione varia dixisse fertur: quae omnia eorum tandem redeunt, ut ostendant, ipsum ab Augustanae confessionis doctrina non adeo abhorruisse, quin potius eandem adamasse. Sunt, qui aiunt, ipsum ingemuisse & in haec verba erupisse: *vinam totus ita sentiret orbis.* \*\*\* Alii, *protestantes in fidei*

\* IO. HVBNERVS in den kurzen fragen aus der politischen historia, t. I. p. 993.

\*\* Quod testatum facit perillustris IO. PET. DE LVDEWIG. verbis mox laudandis, & GEORG. MYLIVS in dedic. Aug. conf. explicationis, ipsius, inquit, imperatoris animus, in sese certe optimus, ac furis episcopalis antebac atrociter inflammatus, ita cepit mitescere, ut caesare ipso nihil mitius uniuersam aulam habere, Philippus quondam ex comitiis ad Lutherum scripserit.

\*\*\* Monet hoc perillustris Fridericianae nostrae cancellarius, IOAN. PETRVS DE LV-

DEWIG in der iubel-rede von den vortzichten gegen dem euangelischen glauben vnd glaubensgenossen Sr. Koen. mai. in Preussen so wol, als dero glorwürdigsten vortzahren des churfst. Brandenburgischen hauses, p. 21. das er dennoch, als er sich bey ablefung der euangelischen glaubens-bekennniß afters nicht wenig gerübet gefunden, anderes sinnes worden vnd bey sich den schluss gefasset, das arme volck in diesen gewissen-sachen nicht zu übereilen.

\*\*\* Testante IO. HENR. HOTTINGERO *bist eccles. noui test. l. c. p. 5.*



*fidei articulis non errant*, \* ipsum effatum fuisse tradunt. Denique ad magnatem quemdam a cæsare in sermone privato esse dictum: *hec est vera fides, quod si dicerem episcopis meis, occiderent me*, auctor est ANDR. WERNERVS: \*\* ut etiam referunt, cæsaris confessionarium Augustanæ confessioni, iam ipsis in comitiis, vehementer fauisse. \*\*\* Papistæ hisce relationibus admodum sunt infensi infestique: \*\*\*\* cuius rei causæ non follicite sunt perscrutandæ.

## §. VII.

Magnam quoque in conseruanda confessione curam habebat. Namque non solum latinum exemplum accepit retinuitque, sine dubio, ut diligentius eam perpendere posset; verum etiam germanicum electori Moguntino tradi curauit, quo in Romani imperii tabulario diligenter adseruaretur. \*\*\*\*

## §. VIII.

Præterea per *Fridericum*, Palatinum, protestantibus si-

A 3

gnifi-

\* Apud IO. LVD. HARTMANNVM *concliorum illustratorum* tomo IV. p. 530. & summe reuer. SALOMONEM DEVLINGVM, aut, qui respondit, auctorem, cl. CAR. GVNTHERVM LYDOVICI, in *auctoritate Augustanæ confessionis demonstrata*, §. 7. Sic & die *notwendige verteidigung des augapfels*, p. 152.

\*\* In *der chronica des hochtöblichsten Kayserfreyen ertz- vnd primat-stifts Magdeburg*, Magdeburgi, MDCLXXXIV. 4. edita, p. 124. 125.

\*\*\* Vid. clariss. CHRISTIANI AVGVSTI SALIGI *vollständige historie der Augsb. confess. vnd derselben apolog.* lib. II. c.

V. §. I. p. 225. & *notwendige verteidigung des h. röm. reichs euangelischer chur-fürsten vnd stände augapfels*, p. 152.

\*\*\*\* Vide LAVR. FORERI, Iesuitæ, *überschlag über den starrensichtigen vnd von den sechsfischen prædicanten übel geheilten Aug-apsel*, c. VI. p. 353. Simile exemplum dedi in *dissert. hist. sec. de disputationibus ob Aug. conf.* tum ipsis in comitiis, tum alibi, habuis, c. II. ad §. 3. p. 22.

\*\*\*\*\* Quod momentum late exposuit IO. GEORG. DORSCHEVVS *diss. de singularibus & mir. docum. prou. diuine circa Aug. conf.* p. 21. sq.



gnificat augustus, se re in omnem partem sollicitè excussa, ita responsum, vt de clementissima voluntate nullum ipsis dubium sit remansurum. \*

## §. IX.

Mox varias in linguas confessionem hanc transfundi curat ipse cæsar, vt in *Italicam, Hispanicam, Gallicam*, munere hoc *Aphonso Valdesio & Alexandro Schweiffio*, qui ipsi ab epistolis erant, demandato. \*\*

## §. X.

Versam confessionem multas in aulas, ad præcipuos Europæ reges, & ad multas academias, transmisit, harumque in primis sententias & consilia sciscitatus est. \*\*\*

## §. XI.

Deliberatum est postea, quomodo cum protestantibus optime procedere posset cæsar; in qua tamen deliberatione in diuersas itum est sententias, multis in euangelicos rigidioribus, multis contra lenioribus & æquioribus existentibus. Et horum tantum, non illorum, sententia probabatur cæsari. \*\*\*\*

## §. XII.

Quum confutationem Augustanæ confessionis fecissent theologi romanenses, in eaque tantas minas spirauissent, vt loco atramenti sanguine vti viderentur, indignabundus cæsar

\* ABR. SCVLTTETVS *an-* 1586. CHRIST. AVG. SALI-  
*nalium euangelii passim per Eū-* GIVS l. c. c. IV. §. 27. p. 211.  
*ropam decimo quinto salutis par-*  
*tæ seculo reuoluiti decade secun-* \*\* GEORGIVS COELESTI-  
*da, in celeberrimi HERM. VON* NVS *hisor. comitor. t. II. f. 190.*  
*DER HARDT histor. literar.* b.  
*reformationis, part. V. f. 156.* \*\*\* Vid. vener. ERNESTVS  
IOAN. IOACH. MULLERVS *in der* SALOMO CYPRIANVS *hisor.*  
*der historie von der euange-* *der Augsb. conf. cap. IV. §. 6.*  
*lischen stände protestation vnd* p. 45.  
*adpellation, wie auch der Augsb.* \*\*\*\* DAVID CHYTRAEVS *hi-*  
*confess. lib. III. c. XVIII. §. 9. p.* *stor. der Augsb. conf. p. 86. sq.*



far ita eam castrari curavit, ut ex magno volumine exiguum paucarum plugarum fieret scriptum. \*

## §. XIII.

De eo postmodum erat maximopere sollicitus, ut certamina religionis inter utrosque componerentur placide. Hinc disquisitiones \*\*amicas super Augustanam confessionem institui voluit, bono quidem & laudabili consilio, at vano irritoque euentu.

## §. XIV.

Inter hæc omnia summam & incredibilem animi moderationem & lenitatem erga protestantes hisce in comitiis semper ostendit. Admodum eam collaudat PHIL. MELANCTHON, \*\* qui ipse præsens adfuit. Digna sunt, quæ hic legantur, verba: *cæsar, inquit, in tantis successibus & rebus omnibus ad voluntatem fluentibus, moderationem animi tantam retinet, ut nullum eius dictum aut factum paullo insolentius notari possit. Quem mihi regum aut imperatorum ex annalibus proferes, quem secundæ res non mutauerint? In hoc uno non potuit indulgentia fortunæ animum a suo statu deicere. Nulla in eo cupiditas, nulla significatio superbie aut feritæ animaduerti potest. Nam ut alia omittam, in hac ipsa causâ religionis, in qua contra nos ab aduersariis miris artibus incenditur; tamen hæcenus nostros ciuilitèr audiuit. Interior vero eius vita plena est*

\* Vid. GEORGIVS SPALATINVS in *annalibus reformat. editis a ven. ERN. SAL. CYPRIANO*, p. 184. *es sind zum ersten mahl wol 280 bletter gewest. Aber Keys. Maieft. solls also gereutert vnd gerollet haben, daß nicht mehr den zwölff bletter blieben sind.*

\*\* Peculari dissert. *hist. seculari de disputationibus ob Aug. conf. tum ipsis in comitiis, tum*

*alibi, habitis, nuper de illis egi ex instituto.*

\*\* In *epist. ad Silberborneram*, apud ABR. SCVLTTETVM *annalium euangelii decade secunda*, l. c. f. 160. Eodem modo ven. ERN. SAL. CYPRIANVS *histor. der Augsb. conf. cap. IX. §. 2. p. 96. dicit de Carolo: er war von seiten der römisch catholischen auf dem gantzen reichs-tag der moderateste.*



est honestissimorum exemplorum continentiae, temperantiae & frugalitatis.

## §. XV.

Neque non, celebratis his comitiis, amorem fauoremque erga Augustanam confessionem luculenter ostendit. Testimonio sint, quod in confessione illa, vi ac ferro extirpanda, morem papæ gerere noluerit, \* quin potius eidem non semel pacem concesserit publicam, \*\* quodque Romæ effecerit principali auctoritate, ne inter libros prohibitos confessio isthæc numeraretur; quod narrat HUGO GROTIUS, Ictus & polyhistor summus. \*\*\*

## §. XVI.

Ipsis quoque libris, interim dictis, quibus ordinationem quandam ecclesiasticam, ad quam vtriusque religionis homines adstringerentur, proponere volebat, palam quasi profitebatur augustus, se Augustanæ confessioni quibusdam in capitibus esse addictum. Nihil nunc de *Ratisbonensi* interim dicam, quod in colloquio, Ratisbonæ, imperatoris iussu CIOIOXLI habito, lucem adspiciebat, de *Augustano interim*, CIOIOXLVIII. promulgato, in præsens tantum verba facturus. In hoc nonnulla nobis concedebantur dogmata, inter quæ erant, sacerdotes matrimonium contrahere & in eo statu actus ministeriales peragere posse, sacram item cœnam sub vtraque specie esse distribuendam. Quæ causâ fuit, vt romanus pontifex, *Paullus III*, indigne hunc libellum ferret, temere ratus, neminem, præter papam, pro sua, si Deo placet, infallibilitate, in eiusmodi fidei articulis statuere quidquam posse. \*\*\*

## §. XVII.

\* Lege, quæ supra §. 5. adnotauimus ex illustri nostro DE LVDEWIG.

\*\* Vt *Norimbergæ* 1532. vt *Francofurti* 1539. vt *Ratisbone*, anno 1541. vt *Spiræ* 1542. iterum *Spiræ* 1544. vt *Wormatiæ* 1545. præcipue *Passauii* 1552.

& *Augustæ Vindelicorum* 1555. \*\*\* *Voto pro pace ecclesiastica*, tom. III. operum theolog. f. 655. a.

\*\*\*\* Legatur summe reuer. IO. GEORGIUS WALCHIVS in *der hist. vnd theol. einleitung in die religions-streitigkeiten der*



## §. XVII.

Notatu vel maxime dignum, quod doctrinam Augustanæ confessionis vere primariam, de *iustificacione* \* hominis peccatoris coram Deo gratuita, ob solius Christi satisfactionem, non nostra opera ac merita, contingenti crediderit. Quidam hoc de aliis quoque dogmatibus adfirmant.

## §. XVIII.

Præsertim postquam, inaudito prorsus ac notabili exemplo, imperio se abdicaasset, otiumque in monasterio *St. Iusti* in Hispania nactus esset, fauor eius in Augustanam confessionem, huiusque dogma princeps de iustificatione, \*\* incre-

B

men-

*euang. Luther. Kirchen, cap. II. §. II. p. 127. 128. In primis quoque clerus Romæ adrodit hunc librum cæsaremque conuictis profcidit. Sicl. c. p. 128. laudatus WALCHIVS: die geistlichkeit zu Rom wurde durch dieses buch in harnisch geiaget, welches kaum nach Rom kommen war, da man auf den Keyser zu sehenden vnd zu schmaehen anfing. Es sey eine unverantwortliche sache, daß er, als ein weltlicher fürst, sich vnterstünde, nicht nur in ein vnd den andern glaubens-artickeln, sondern auch über die gantze religion einen ausspruch zütuhn. Adde quoque reu. & cl. IO. ERDMANNI BIECKII dreyfaches interim. Epistolam quamdam, qua admodum a Paulo III reprehenditur cæsar, exhibet IO. WOLFIVS le-*

*tionum memorab. t. II. p. 539. lunge & b. IO. FRANCISCF BVDDEI iudicium b. Mart. Lutheri de ecclesia romana expensum & vindicatum, §. II. miscell. sacror. part. II. p. 110.*

\* IO. BENED. CARPZOVIVS in *isagoge in libros ecclesiarum Luther. Symbolicos*, p. 102. §19.

\*\* Refert IAC. AVG. THVANVS *historiarum sui temporis*, lib. XXI. f. 428. b. ipsum bienio ante mortem in fratrum Hieronymianorum sodalicio monitore vsum esse Constantino quodam, qui ipsi a sacris fuisset confessionibus, & Bernhardi lectione præcipue fuisse delectatum. Addit: *oto pectore in Deum reuolutus sic ratiocinabatur, se quidem indignum esse, qui propriis meritis regnum cælorum obtineret; sed dominum*



menta cepisse dicitur. Multae huius rei indicari possunt causae. Etenim adcuratius & pontificiorum fraudes, & angelicorum innocentiam ac veritatem, iusta animi lance ponderare poterat. Poterat protestantium nonnullorum fidem & constantiam incredibilem perpendere, sibi que iterum ante oculos ponere, eam cum primis, quam in *Ioanne Fridenrico*, captiuo licet electore, animaduertit, qui, oratione prorsus singulari, \*Carolus fuerat adloquutus.

## §. XIX.

Paulo ante obitum sub vtraque specie ab ipso sacramentam fuisse sumtam apud quosdam auctores relatum legimus: \*\* quo in facto eius cum Augustana confessione consensum nemo non videt.

## §. XX.

Et in hac doctrina pie quoque mortuus est: id quod *IACOBUS AVGVSTVS THVANVS*, \*\*\* historicus coeuvus & magnae

*Deum suum, qui illud duplici iure obtineat, & patris hereditate, & passionis merito, altero contentum esse, alterum sibi donare, ex cuius dono illud sibi merito vindicet, hacque fiducia fretus minime confundatur. Neque enim oleum misericordiae, nisi in vase fiduciae, poni. Hanc hominis fiduciam esse a se deficientis & innitentis domino suo: alioqui propriis meritis fidere, non fidei, sed perfidiae esse: peccata remitti per Dei indulgentiam, ideoque credere nos debere, peccata deleri non posse, nisi ab eo, cui soli peccauimus, & in quem peccatum non cadit, per quem solum nobis peccata condonantur.*

\* De qua cl. *CHRISTIANVS AVG. SALIGIVS* in *der vollstendigen hist. der Augsb. conf. vnd derselben apol.* lib. III. c. IV. §. II. p. 579. sq.

\*\* Ex quibus nominamus *IO. HENR. HOTTINGERVM* *hist. eccles. nou. test.* tom. IX. saec. XVI. part. V. c. I. p. 5. & illustrem *BVRCARDVM GOTTHELF STRVIVM* in *dem kurtzen b. grif der vniuersal-historie*, sect. XIII. §. 60. p. 349.

\*\*\* l. c. f. 429. Eodem modo *PHIL. MELANCHTHON* & *CASP. PEVCERVS* in *chronico* *IO. CARIONIS* p. m. 966. & *CHRISTIANVS MATHIAE* in *theatro historico the-retico-practico*, p. 1073.



gnæ fidei, testatur: *ita, inquit, quum sensim ad lentam talem febris acuta accessisset, imaginem Christi, cruci adfixi, idemdem in oculis, vultu, ore & tota mente complexus, in eo solo se omnem salutis suæ spem collocare declaravit, sumtoque viatico, in me mane, inquit, dulcissime servator, ut ego in te maneam; in quæ verba deficiens, animam gloriosissima hic vita defunctam, Deo, qui dederat illam, reddidit.* Sic quoque IO. KLEINIUS: \* *de iustificatione quidem, quid habet confessio, quod non tamdem creâderit Carol. V. quum iam de rationibus Deo reddendis sollicitus, iam terrenarum curarum liber, iam celos & cæleste tribunal cogitans, in Hieronymianorum fratrum sodalio versaretur?* Et GERH. BYSDRAGIVS, episcopus Argolicensis, in epist. quadam apud IO. WOLFIVM \*\* refert, cæsarem iustificationem solius fidei ad mortem vsque credidisse. Ipse quoque IAC. MASENIUS, Iesuita, testatur, \*\*\* ipsum crucifixi imaginem manu complexum, servatoris nostri patientis confisum meritis, pronuntiatæ eiusdem exspirantis verbis: *in manus tuas, domine, commendo spiritum meum, placidissime exspirasse.* Neque de intercessione sanctorum quidquam audire voluit. \*\*\*\* Sed copiosius & singulari commentatione mortem Caroli euangelicam ostendit IO. FRID. MAYERVS. \*\*\*\*\*

B 2

§ XXI.

\* *de Aug. conf. oratione,* edita iterum Lipsiæ hoc anno sæculari a viro celeb. IO. ERH. KAPPIO, p. II.

\*\* *lection. memorab. in præf. tomi I.*

\*\*\* Citatus a summe reuendo ERN. SAL. CYPRIANO *hist. der Augsb. conf. c. XIV. §. I. p. 158.*

\*\*\*\* Teste laudato STRVIO, l. c.

\*\*\*\*\* *oratione de morte Caroli V imperatoris euangelica,*

quæ tertia est in eius ecclesia papæa, *Lutheranæ reformationis patrona & cliente,* Lipsiæ MDCCXCVIII. 4. edita. Etiam IO. SAUBERTVS in *miraculis Aug. conf.* primo loco hoc recenset miraculum, Carolum V doctrinæ Aug. conf. fuisse immortuum. Conf. IO. HVBNERVM in *den kürzen fragen aus der politischn hist. t. I. p. 1021.* & summe vener. LAMPERTVM GEDICKIVM, patronum nostrum suspicien-



## §. XXI.

Sunt multæ specialiores relationes, de quibus tamen certum quid indubiumque determinare haud licet. Sic moriens fertur dixisse, veram sibi Lutheranorum de iustificatione sententiam videri. Adnotat hoc IO. HENR. HOTTINGERVS, \* qui præterea addit, huius rei famam per vniuersam Europam tunc percrebuisse, papam quoque romanum, quod eum Lutheranis in præcipuo religionis articulo senserit Carolus, exequias ipsi non celebrasse. Nec desunt, qui confessionarium, aut concionatorem, Caroli ob mortem eius euangelicam in Hispanorum inquisitione Vallisoleti ad supplicium actum adfeuerant. \*\* Alii eius, in carceris squalore demortui, effigiem Hispali esse concrematam, contendunt. \*\*\*

## §. XXII.

Nonnulli omnia relata, de Caroli V morte euangelica, in dubium vocare sibi sumunt. Multis hoc agit PETRVS

BAF-

dum, in dem kurtzen histor. vnterricht von dem ganzen reformations-wercke, c. VI. §. 15. p. 194. sq.

\* *hist. eccles. noui test.* t. IX. sæc. XVI. part. V. c. l. p. 5. eademque in rem testem excitat *secretar. pontif. in actis concil. Trid.* p. 108. edit. Phorzheimensis.

\*\* Apud IO. WOLFIVM I. C. Sic & EBERH. RVD. ROTHIVS in *hist. vniuersali pragmatica*, p. 708. IO. ANDR. SCHMIDIVS *compendio hist. eccles. noui test.* p. 419. perillustri SAMVEL liber baro APUFENDORF in *der einleitung zu der historie der vornehmsten reiche vnd staaten*, t.

I. c. II. §. 10. p. 92. *chronicon* IO. CARIONIS p. 965. & FRID. HILDEBRANDVS in *synopsi historie vniuersalis*, p. 244.

\*\*\* IO. HVBNERVS I. C. PHIL.

IAC. SBENERVS in *sylloge genealogico-historica*, p. 54. GOTTF. LVDWIGIVS in *der vniuersal-hist.* p. m. 457. IO. KLEINIVS I. C. p. II. vbi præter PETRVM SVAVEM POLANVM *hist. conc. Trid.* I. V. p. 486. IAC. AVG. THVANVM *hist. sui temporis* l. XXIII. f. 470. testem aduocat. Confer quoque PETRVM BAELIVM in *dictionary historique & critique*, t. I. voce *Charles-quinz*, f. 847. item *allgemeines historisches lexicon*, t. I. f. 824. b. edit. 3.



BAELIVS, \* quumque dixisset: \*\* *d'oures. pretendent, qu'il avoit plus d'ambition, que de religion, & qu'il mourut presque Lutherien*, subiungit: *la premiere de ces deux choses est plus probable, que la derniere.* Sequitur ipsum FRID. GVIL. BIERLINGIVS, \*\*\* vir longe doctissimus. Sed licet multæ relationes speciales vel falsæ, vel non satis firmæ sint: quod bene ostendit BAELIVS; ipsa tamen eius euangelica mors non continuo labefactata est, quam vno ore omnes historici confirmant.

## §. XXIII.

Multo magis papistæ quidam has, de Caroli V in Augustanam confessionem fauore, historias impugnant, tamquam longe falsissimas. \*\*\*\* Sed quid causarum habeant, nemo non videt.

## §. XXIV.

Plura sunt, fateor, quæ tum pro Caroli V in Augustanam confessionem fauore, tum contra eundem adferri in medium & in utramque partem disputari possent. Sed chartarum limites in præsens id prohibent. Ad id potius accedo, cuius causa hanc commentationem in publicam lucem ire iussi, ut institutiones, academicas, semestri hiemali habendas, generosissimis ac nobilissimis commilitonibus, fautoribus singulari ratione honorandis, ritu haud inconsumo, indicarem. Enigitur

## RECITATIONVM TABVLAME

Duplicis sunt generis collegia, ad quæ desideria nonnullorum commilitonum honestissima, meaque me officia ac studia, deuinxere, quæ propterea semestri hoc hiemali, Deo propitio, habere vobisque offerre in animum induco. Alia sunt philosophica, alia historica. In *philosophicis* id egi ac meditaturs sum, quomodo discipulorum commodis quam optime prospicerem. Quocirca non solum *logicam* seorsum præ-

B 3:

legi;

\* In *dition. hist. & crit* l.c. f. 847. & voce *Carranza*, f. 775.

\*\* l. c. f. 846.

\*\*\* In *commentatione de Pyrrhonismo historico*, c. V. §. 4. p. 264.

\*\*\*\* Sic auctor *August. & an. vi. August. confess.* part. II. c. VI. §. 5. p. 132. dicit, ipsum pertotam vitam, ne per momentum quidem, Augustanam adprobasse confessionem.



legi; sed etiam *cursum*, vt vocant, *philosophicum*, quo integer philosophiæ ambitus vnus anni spatio sollicitè pertractatur, institui. Tale collegium, quam potest mens mea longissime respicere spatium præteriti temporis, Halæ habitum non meminî. Ego tamen ad methodum, in academia Ienenfi receptam, hæc collegiorum genera in Fridericianam introducere, aut forte reducere, tentauî. Nec infeliciter sane. Et enim non exiguo numero & fructu non contemnendo frequentata eadem fuisse animaduerti. In id incumbam porro, vt binis quotidie horis, in diuersis tamen ac separatis collegiis, præcepta institutaque philosophiæ curate ac diligenter tradantur, quo, qui voluerint, vnico semestri spatio vniuersam philosophiam imbibere possint. Poterunt tamen alii annuo spatio eam addiscere pro lubitu. Adiunxi semper meis lectionibus philosophicis *exercitium disputandi*, quo singulis sabbati diebus philosophia thesibus latinis disputando pertractata & excussa fuit. Scopus eiusmodi exercitationum est præclarus & varius, \* vt, abiecto omni præiudicio, ac præcipue auctoritatis, veritas magis noscatur & patefiat. Paucissimi quidem, fateor, inueniuntur, qui disputandi studio suam addicunt operam, adeo vt ex decem vix, ac ne vix quidem, duo id facere compertum habuerim; attamen, quo pauciores sunt, eo maiorem vtilitatem inde percipiunt disputatores, hac ratione multo sapius tum respondendo, tum opponendo, munia hæc sustinentes. Qui in duobus collegiis hanc spartam ornarunt, eorum laudabo nomina, ordine alphabetico digesta. Sunt illi viri iuuenes sequentes, ingenio & doctrina præstantissimi:

In collegio logico:

IOACHIMVS BAVMANN, Memelia-Lithuano-Poruffus.  
 IO. CASPAR. FLEISCHMANN, Franconia-Henneberg.  
 IO. AVGVSTVS STVTZING, Erdeborna-Mensfeld.  
 FRID. GVILIELMVS VLFERT, Neomarchicus.  
 FRID. GVILIELMVS ZIEROLD, Stargardia-Pomeranus.

\* Late illum exposui, insigneque disputationum vsum *de exercitiis disputandi frequentius in academiis instituentis*, ostendi nuper in *dissert. logica* dis.



In cursu philosophico, in historiam philosophicam, logicam, metaphysicam & physicam instituto:

IOACH. BAVMANN, Memelia-Lithuano-Porussus.

GOTTHARDVS IOANNES A DIEZ, eques Lionus.

SAMVEL GERLACH, Potsdamienfis.

THEOD. GOTTFRIDVS GIESLER, Herdecca-Guestphalus.

GOTTHILF AVGVSTVS HOSSE, Halensis.

OTTO CHRISTIANVS GERHARDVS MEHLER, Microfurensis Hohensteinensis.

FRIDER. GVILIELMVS ZIEROLD, Stargardia - Pomeranus.

Quum vero nemo institutum temere mutet, quod salutare esse intelligit, nec nos a disputationibus habendis, a quibus magnus adhuc in commilitones æstumatissimos fructus redundauit, desistimus, strenuè potius perrecturi easque cum lectionibus philosophicis arctissime connexuri.

Quod ad *historicas* prælectiones adinet, eas tum in historiam *vniversalem*, vnique erudito summe vtilem & necessariam, tum in *litterariam*, quæ itidem amplissimo vsu sese commendat, diuinis auspiciis instituiam. Veneror demisse diuinam providentiam ac directionem, quod anno abhinc Berolinum concedere & per integrum semestre ibidem viuere debuerim. Namque in instructissimis bibliothecis, regia scilicet & Spanhemiana, omnia in rem meam conuertere licuit. Non neglexi hanc occasionem, quæ non facile redibit vquam; sed tum alia, tum historica præcipue, siue ciuilia, siue ecclesiastica, siue litteraria, diligenter euolui & in posteros vsus adnotauit. Fideliter igitur cuncta communicabo, vt etiam in historia litteraria de hisce bibliothecis Berolinensibus, vere incomparabilibus, ex instituto exponam earumque docebo præstantiam.

Sed vel tandem omnia collegia sigillatim, adiunctis horis, significabo:

I. In cursu philosophico in omnes philosophiæ partes ita instituendo, vt adcurate & solide cognoscatur philosophia, pergam ad *philosophiam* moralem, siue *ethicam*, *ius naturæ & politicam*, adnexa de *mysteriis philosophicis* tractatione. Viæ ducentem vt iam ante, sic nunc quoque, eligemus celeberrimi doctissimique IO. GEORG. WALCHII, quem ipsum inter alios Ienæ in philosophicis habuimus præceptorem, librum: *einleitung in die philosophie*. Quæ docuimus, eadem disputando ventilabuntur. Hora erit eadem, quam olim iam huic instituto destinaui, scil. VIII ad IX. II.




II. Collegio HISTORIAE LITTERARIAE consecraui cel-  
 & acutissimi CHRISTOPH. AVGVSTI HEVMANNI *conspectum rei  
 publ. literariae, sive viam ad historiam literariam*, quo meliorem li-  
 brum in hoc genere, si ad praelectiones academicas respicias, non ha-  
 bebimus. Illustris & magnificus quondam NIC. HIERON. GYND-  
 LINGIVS eundem huncce librum obseruationibus illustrare & ex-  
 plicare solebat. Dabo operam, vt solide, perspicue & copiose, om-  
 nia, ad historiam literariam pertinentia, momenta, pertractentur:  
 idque hora pomeridiana II ad III.

III. CVRSVM PHILOSOPHICVM incipiam in priores philoso-  
 phiæ partes, scilicet *historiam philosophicam, logicam, metaphysicam &  
 physicam*, iridem ad ductum laudati WALCHII in *der einleitung in  
 die philosophie*. Omnia disputando iridem examinabuntur. Absol-  
 ventur dictæ partes semestri hiemali hora III ad IV.

IV. HISTORIAE VNIVERSALIS collegium aperiam. Con-  
 stitutum est, hisce praelectionibus illustrare viri illustris atque excel-  
 lentissimi, NYRCARDI GOTTHELF STRVVI, historiarum iurium-  
 que apud Ienenses professoris longe doctissimi, *kurzen begriff der  
 vniversal-historie, darin der vrsprung vnd fortgang der Europäischen  
 reiche vnd staaten bis auf gegenwertige zeit beschrieben vnd mit gebew-  
 rigen anmerckungen vnd beweisfühmern erlautert wird*, Ienæ, 1726. 8.  
 Hora huic operæ adsignata est IV ad V.

Has omnes recitationes, Deo secundante, die XVI Octobris, fi-  
 nitis nundinis Lipsiensibus, in auditorio meo ordinario, *auf dem  
 Berlin*, incipiam. Denique *exercitationes stili latini* continuabo stre-  
 nue. Et quidem, perducta iam ad finem *apolog. Augüst. confess.* per-  
 gemus ad *articulos Smalcaldicos*. Componuntur quoque & corrigun-  
 tur exercitia ad ductum celeb. FRID. MVZELII *compendii vniuersæ  
 latinitati*. Haec vero acroases instituuntur in reuerendiss. ac summe  
 venerabilis abbatis IOACH. IVSTI BREITHAVPTI auditorio semi-  
 narii theologici, hora VII ad VIII. matutina. Ceterum si qui illu-  
 stris IO. GOTTL. HEINECCII *stili cultioris fundamenta* a me ex-  
 plicari velint, nec eorum desiderio sum refragaturus. Neque non ad  
 varii generis disputationes, publice habendas, *philosophicas, historicas,  
 philologicas, hermeneuticas* aliasque, litterarum cultores inuitantur: qui  
 vti valere iubentur: ita vt nostris faueant studiis, peramanter, & qua  
 decet, ratione, rogantur. P. P. in regia Fridericiana, qua

Halæ Magdeburgicæ floret, die III Octobr. MDCCCLXXX.













JK 3957

ULB Halle 3  
003 855 333



TA 30 L


VO 17

*Handwritten signature or initials*

Rho








Dis







TORICA SAECVLARIS

DE  
RATORIS

# OLIV

MERITIS IN AVGV-  
CONFENSIONEM  
VLARIBVS,

TIONIBVS ILLVSTRATA:

QVA

FRIDERICIANA

CTIONES SVAS,  
CAS ET HISTORICAS,  
BERNO HABENDAS,

EARVMQVE RATIONEM  
VS EXPONIT

VS FRIDERICVS  
B A V E R,

CI IN REGIA FRIDERICIANA  
VNCTVS.

OCTOBR. ANNO SAECVLARI CIO DCCCXXX,

I HENCKELII, ACAD. TYP.

